H I S P A L I S.



SEPTIFORME PRODIGIUM
ORBIS, ET URBIS.

A BOETI, QUÆ DUCIT NOMEN, VEL NOMINIS OMEN;
MAPPA THEOGRAPHICA, SIVE HEPTALOGUS,
SEPTEM MUNDI MIRABILIA
SIMULTER LATEBRANS, ET ELUCUBRANS, QUORUM
admirabile, perspectabile ac construetur objectum
IN SERAPHICO HYERARCHICO CONSISTORIO
PRO VVANDALICO ELIGENDO HYERARCHA
Sacri Pneumatis hedysmate congregato in Plagati præinclyto Delubro,
Municipali Domo

CIVITATIS HISPANIENSIS

(AB HISPALI SIQUIDEM DICTA FUIT HISPANIA HISPALIA)
per septem Diatribas distributa exegeticas, & æncomiasticas, periochas,
& minervales.

CUJUS CONGESTUS NOMARCHIAM TENEBIT MEDIAM
R. A. P. Rmus. Fr. ANTONIUS JOANNES DE MOLINA
LECTOR ANTIQUUS, BIS EX PROVINCIALIS MINISTER
Provinciæ S. Joannis Bap. Visitator, & Pater Alcantarensis Familiæ, Commissarius Generalis Delegatus pro Discalceatis, Commissarius etiam Generalis pro familia Cismontana, & Visitator
Apostolicus.

SCOENA, ET ORCHESTRA PARABITUR ADMIRABILIS A DIE
6. usque ad 9. Junii ann ut in sequenti

CHRONICON.

neC uniVersa faCies singuLis partibus
aVferet aDmirationeM.

HISPALI: In Offic. JOSEPHI PADRINO, in vico Genuensi.

MAPPA THEOGRAPHICA SIVE SERIES CONGRESSUS.

Venite, & videte opera Domini....prodigia super terram. Ex Psalm.45.

NOn Vertumni Pomonæ Amasii formas in corpore miras, ut Propertius: *Quid in rare meas tot in uno corpore formas?* Non sortilegæ in Daphni n Medeæ metamorphosim, ut Ovidius, Prothæi spectra, nec Circe monstra, Ossæ myrta, Ponti lauros, Arcadiæ flores, aromata Pindi (Virg.) sed inassueta Prodigia (Raynerus) Miracu a (Arab.) Mirabilia (Syrus) præconissant Filii Corè, sive Crucis in Psalmo *pro Arcanis* Sapientiæ, erudtionis (Steuchus) & doctrinæ (Maluend.) id est, pro Mysteriis Vocationis (Leblanc) gentium spiritualium in mirabilem concordiam. Gratu'atur Psalmicen Cycgnus pro insigni auxilio Civitati Sanctæ divinitus collato; ideo dictitat: *Deus noster refugium, & virtus.* Virtus, de qua Apostolus: *nos prædicamus Christum Crucifixum.:.ipsis vocatis Dei virtutem.* Non enim in hac Civitate debacchationes Veneris, Dianæ hospiticidia, & Cereris liturgia sacra, sed Deus est in medio ejus, num: *ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo in medio eorum sum.* Tamquam Columna (Leblanc) in medio ædificii, illud sustentans, quasi Crucifixus (idem) in medio ejus, & ideo non co nmovebitur. En Hispalim. Herclè enim *HIS PALIS* Crucifixus, HIS-PALIS columna est Christus urbi Hispalensi Seraphicæ. *HIS-PALIS* in modum Crucis quasi quadrigeminis columnis Hercules ædificavit, HIS-PALIS, sive Thau Crucis littera Franciscus suam Coloniam velut alter Alcides. Crucis pali stemmata sunt, & Urbis columnæ. Crucis arbor eximia Vexillum Vvandalicæ Peninsulæ est, & Columna diploma. Igitur Crucifixus in medio ejus tamquam Columna, non commovebitur in Civitate, in Franciscíadum familia. Hinc *fluminis impetus lætificat* Civitatem. Læto, perennique cursu (Paraphr) ex sacro Dei throno, decurrentes gratiarum rivi recreant. Flumen lætificat, id est, (D Amb.) Spiritus Sanctus. De quo Isaias: ecce ego decurram in vos sicut fluvius Pacis. Replens totam domum, ubi adsunt sedentes (Act.) Seniores, occupantes thronos, Judices, Electores (Silv.) & torrente voluptatis potans *Minores*: quia: Spiritus (D. Amb. Hug.) ima petit, & vacua replet, juxta illud Isaiæ, *super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & quietum?* Sic sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Non domum permanentium (Cayet.) sed tabernaculum peregrinantium. Minorum, qui sunt *Peregrini, & Advenæ in hoc sæculo in paupertate, & humilitate.* Sed cur istam lætificat Civitatem? Quia illam solus Deus ædificavit. Pleræque Urbes aut Deos sibi conditores affinxerunt, aut Heroes filios Deorum, quomodo Euripides divinas Athenas appellavit à Cecrope (Julius Firm.) & Minerva originem revocando. Ast Civitas Seraphica ab Artifice Deo, vel quia mundi machinam Architeton creando tradidit Francisco, vel quia ejus Religio in Evangelii fundo, & quinquies nodosi funiculi Plagarum Christi perpendiculo celsum Dei opificium evassit. Venite igitur ad eam. Vocavit Jacob filios (Genes.) & ait eis: congregamini. Enumeravit Generalis Nomarcha expeditos vernaculos suos, & ecce, concilium vocat: tenuit nulla mora vocatos. Congregatæ sunt gentes, dabit novus Legislator vocem suam, mota est terra Minorum in novum cœ lum,

lum, & novam terram. Dabit novus Dynaſta imperii vocem, non confringentis cedros, non in magnificentia, ſed in virtute, de qua Haruſpex Pſaltiriſta: *fiat pax in virtute tua*, cum ordo monaſticus, & monarchicus reſultet ex armonia pacis. Bap. Mant:

Pax plenum virtutis opus:...
Sydera pace vigent conſiſtunt terrea pace:
.....nil placitum eſt ſine pace Deo.

Intonat propterea: *arcum conteret, & confringet arma*, quod latebrat ſpecimen capitularis cœtus, in quo Seraphica filiaſtra terribilis acies (Ghisl.) per conventum, Caſtrorum (Hug. Vict.) per procinctum, ordinata (Lebl.) per conſenſum, coruſciferis Subtilis Doctoris jaculis confringet potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum per veſpertinas luces, Occeanum ter Phœbo ſubtervolvente Quadrigam; dumque accedentibus Myſtagogis ad cor Evangelii altum, & Biblici cedri medullam aquilinis enucleandam obtutibus, exaltabitur Deus per quatuor matutinas faces, ſolvente jam Phaetonte quadrupedantum ignifluorum capiſtros. In tanto undequaque ſpecioſo microcoſmo Seraphico microſcopio venite, & videte opera Dei, quæ poſuit mirabilia. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat in principio, in Capitulo (Alap.) & erant valde bona; quia ex eis (Abul.) conſurgebat ordo *Admirabilis* univerſi Videte autem in Franciſco cuncta, quæ congregavit, & ſcrutabimini in Hiſpalica urbe Mirabilia, ut hic adimpleatur Hiſpanicum axioma:

QUIEN NO HA VISTO A SEVILLA
NO HA VISTO MARABILLA.

Septem Miracula, quia natura gaudet (Phil.) ſeptenario, decclamavit Orbis, expetivit aviditas Alexandri. Mirabilia ſeptem ſeptiformi Spiritu buccinabit Hiſpal, illuſtrabit humilitas Franciſci, qui non ambulavit in magnis, neque in mirabilibus ſuper ſe. Septem Orbis extitère miracla; templum Epheſsinæ Dianæ. Rhodæ Coloſſus. Statua Jovis Athlantis. Arthemiſsiæ Mauſoleum. Pharion Turris. Babylonica Pyramis, & Semiramis Penſile. Hæc iconita miraberis in Majori Minori Gurguſtiò, non veluti exquiſita (Engelg.) artis miracula, ſed miranda Lucis opera primori gratiæ collineata penicillo. Videbis, & afflues mirabitur, & dilatabitur cor tuum, dicens: *Confitemini Domino, qui facit Mirabilia magna ſolus.* Si enim Orbis mirabilia obſtupuère nomen Alexandri, ſiluitque terra Reg. in conſpectu ejus; celſiori jure obſtupeſcent obtutum Franciſci, in quo memoriam fecit Dominus Mirabilium ſuorum. Sileant ergo Mirabilia Orbis ad Hiſpalenſis Urbis mirabilia. Et cum Mart. in Amph Cæſ,

Barbara Pyramidum ſileant miracula Memphis,
Aſſiduus jactet nec Babylòna labor.
Nec triviæ templo molles laudentur honores;
Diſsimuletque Deum cornibus ara frequens.
Aere nec vacuo pendentia Mauſolèa,
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant;
Omnis Cæſareo cedat labor Amphiteatro;
Unum præ cunctis Fama loquatur opus.

MIRA-

MIRABILE PRIMUM. TEMPLUM EPHESINÆ DIANÆ.

Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Palm. 64. v. 6.

PER Amazonas constructum extitit in Asia Ephesinæ templum Dianæ, innixum centum supra viginti elegantes, quas Reges obtulere, columnas. Hujus fani augustius fuit privilegium (Plin.) quod Xerxes intactum reliquit, cum reliqua delubra incendio daret.

Mirabile est in oculis nostris templum Dianæ;

BEAT. VIRG. MARIA.

In primo gratiæ anastro, justitiæ coluro & lucis apogæo. Signum enim magnum, Miraculum apparuit in Cœlo, dum (Sera) Conceptionem explicat. Verè templum mirabile in æquitate. Miraculorum (Damasc.) officina, Miraculorum (Cret. effectrix. Miraculum (Ephip.) stupendum. Miraculorum (Ephr.) abyssus. Cœleste (Ignat.) prodigium quia (si majus est testimonium ab inimico) *illam Deus manifestum gentibus Miraculum posuit*, confitetur Mahoma in Alcoran. Azod. 31.

Compactum fuit hoc Templum per Amazonas, id est, Gratiam, & Justitiam, largiente Trinitate carismatum Columnas; ut possis dicere huic cellis monilibus ditatæ Pandoræ cum Ovidio, & Philoteo.

Regia Solis erat sublimmibus alta columnis, -Illa suo defixa loco non flectitur Euro,
Clara micãte auro flammasq̃ imitante Pyropo.-Non timet, unda, tuas, nec timet, aura, minas.

Hujus templi mirabile privilegium, quod permaneret illæsum ex primæva peccati flamma; heroica enim Leontophona in hoppolomachia Nemæum Leonem, Cleonæ monstrum pelle, & spiritu spoliavit, & ludens Polemarcha Acherontis chaos conquiniscere coegit. Verè Diana triformis, Triordinis Seraphici sub hoc Mysterio Hegemonia; quidquid hydra crocitet, & sibilet deblaterans serpens, dum Subtilis ut linceam defetiscens Draco in horto Hesperidum pupillam parat, & inaurati pomi CUSTOS SCOTUS spatia vallat. Dum Franciscus Sampson coram Pontifice à subdola sphynge immunem bellicat antitheton, dumque octomillia plusquam virorum Authorum hujus familiæ, quasi calami scribæ in vestitu gratiæ deaurato in primo instanti tantopere stabilirent, ut à supremo Oraculo opinio pia dicta sit opinio Minorum.

Hoc ergo templum Mirabile inæquitate est & Mirabile in oculis nostris in Hispalensi domo tot columnis, quot Seraphinis; quare:

Si veteres Ephesos lustravit diva Diana,§ Quàm jejuna in te Juno, quàm pallida Pallas!
Hispalis en fruitur sic meliore Dea. § Quàm Dea vana Venus! tu Dea sola viges.

Ast cum templum figurativum, sivè Arca veniret in *Castra*) Reg. 1.) & prædicaretur in Castris (1. Machab.) ecce in hoc vero templo: *Factum est Miraculum in Castris* (1. Reg.) Factus est sonus Castrorum (Mac.) quasi sonus exercitus. Sed *CUR SIC FANS*? Ideo, quia *FRANCISCUS* dicitur (Claud Rot.) ratione fortitudinis. De *CASTRO*, ut in *Castris* prædicetur hoc *Miraculum*,

In tanto igitur miraculo auspicio primori ex culmine Ambonis aleteon sparget *P. Fr. FRANCISCUS XAVIERIUS de CASTRO* in Divi Bonaventuræ perillustri de *Propaganda Fide* thymæo Sac. Theologiæ Subtilissimus Anagnostes.

MI-

MIRABILE SECUNDUM. RHODÆ COLOSSON.

Illuminans tu Mirabiliter à montibus æternis. Psalm. 75. 5.

COlossus Rhodion (unde Colossenses) extitit ænea statua litata Soli, cujus inaccessibile in medio aquarum culmen arces parvi pendebat sublimmes obeliscos, & turres. Ad septuaginta cubitos mathematicos materiam superabat opus, in quo Cares Lysipi discipulus duodecim consumpsit annos; & cujus mole Egypti Rex post diruptionem nonagentos Bactrianos, & Arabicos sarcinavit Camelos.

En mirabilem periegêsim Cherubici Amabilissimi, & Amantissimi
P. N. B. DOMINICI DE GUZMAN

Magnus enim Colossus (*Magnus* anagram. *Gusman*) Solis fuit, vel Sol quasi solus, montibus æternis exultans ut Gigas centimanus, & centoculus, ut de Briareo, & Argos Mythologici delirarunt. A summo cœlo eggressio ejus, nam Catharina teste, de pectore ipsius Patris omnipotentis prodivit. Occursus ejus usque ad summum ejus, propterea perpetuo divini Phæbi radiorum repercussu micat in Empyreo stella, unde quadrat Virgil.

..... Cœlo delapsa per umbras Stella, facem ducens multa cum luce cucurrit.

Verè Sol Colossus, & Clicie Solis Justitiæ in Eucharistia, Prædicatoribus filiis derivans, Urbano 8. concediente honorabilem pro deffensione Sacramenti titulum, & cognomen. Illuminans face fidei mirabiliter, ad cujus jaculum turbati sunt hæretici, congenulati insipientes corde, Agareni, Græci, Albigenses, Calvinistæ, Luterani, sacramentarii, Hugonotes, & alii, prout clamant Concilia, Viennense, Constantiense contra Uviclef, Basiliense contra Hussitas, Florentinum contra Græcos, Lateranense, Lugdunense, Tridentinum, & alia. Sic de Minos concrepuerat Ovid.

.... Qui dum fuit integer Ævi,
Terruerat magnas ipso quoque nomine Gentes.

Pulchrum Colosseum Ustorium Divini Archimedis Speculum, & Marianæ Arcis Sion specula, vel contra inimicas, exterasque Ecclesiæ rates, quas charitatis sole scintillante longissimè adurit (Picin.) ut fatentur Alani, tartari, Bulgari, Cumani, cæteræq; Indorum Nationes, & plagæ. Vel quia quasi Mariana specula illustravit Deiparæ Davidicam turrim cum clypeis Rosarii fulgidis, aut globulis precatoriis, ita ad Salutationem Angelicam, & Dominicæ Passionis momenta gentes suis tractibus alliciens, uti de Herculis allectu, & eloquentia vocitabat Alciatus.

Quidquod lingua illi levibus trajecta catenis,
Queis fissa faciles allicit aure viros.

Istam lucem Colosseam à montibus æternis delapsam carpet secundus Promethæus (sic enim sonat anagram. *Franciscus Lopes*: FONS LUCES CARPIS) qui cætui Hierarchico, ubi pallida surgit Titoni Croceum linquens Aurora cubile (Virg.) sabbatizare tenetur.

Unde hac die Arabiæ fumos ad aram tanti Patris ex cordis foccis accendet, & lyram mutuans Lesbia Sappho, tripudians modulabitur Carpheorum P. Fr. FRANCISCUS LOPEZ in D. BONAVENTURÆ de Propaganda Fide Collegio peritissimus Sac. Theologiæ Gymnasiarcha.

MIRABILE TERTIUM. STATUA JOVIS ATHLANTIS.

Mirabilis Deus in Sancto suo Ex Psalm. 67. 36.

PLures Jovem Athlantem icones antiquitùs demonstrabant, sed unum pro cunctis Achajæ loquebatur opus. Extitit Statua tam mirà proceritate, ut sedens in pavimento templi ad cupulam Capitolii collimaret; sic ut suapte mole attollierentur tecta, si erectis pedibus, & recto capite vellet conficere gressum.

Ecce mirandam celsitudinis, & proceritatis symmetricam ulnam

S. P. N. S. FRANCISCI DE ASSIS.

Mirabilis enim Deus in Sancto suo per centrum humilitatis usque adeò protraxit ad circumferentiam sublimmitatis lineas, ut figente Francisco pollice pedis in pavimento Ecclesiæ, uti rimatur in ejus sepulcro; capite conquallaret angulos verticales Empyrei. Si infinitæ quantitatis Gigantem machinare velimus, cujus altitudine capitis excederet polum, longitudine pedum calcaret abyssum, & brachia usque ad Orientem, & Occidentem extenderentur, ut ajebat Mag. Albertus; opponamus speculum Francisci, siquidem quadrigeminus gigas ad quatuor mundi oras, polos, & cardines, ex nadir suæ inaninationis usque ad Zenith pervehitur, juxta Seraphicum prognosticum: *in omnem mundum exivit Zona eorum, & in fines Orbis terræ*

Verè altissimus Jupiter, qui primùm Antheon terræ filius propter nuditatem, majorem vim pati coegit Regnum Cœlorum, ascensiones in corde suo disponens, quàm vetus Deucalion gigantomachia in æthera & Numina conspiravit.

Mirabilis Athlas (D. Bonav.) fuit enim electus, ut suis humeris Dei Ecclesiam sustineret; unde benè apud Ovidium querula vociferat Dejaneira.

Quod te laturum est Cœlum prius ipse tulisti;
Hercule supposito sidera fulsit Athlas.

Hinc tempore Calixti Tertii anno 1455. Imperante Frederico Quarto Minorum Ordo se Ecclesiæ Dei obligavit dare triginta millia Fratrum ad pugnandum contra Infideles, remanentibus totidem ad cultum Divinum peragendum. Sed quid mirum (D. Hieron.) quod Herculeos labores excesserit? Si vestitus cilicì, machærà, loricà, & galeà Crucifixi evasserit Franciscus fulcrum Cœlorum, altitonans Jupiter, & Athlas Ecclesiæ, qui propter Crucifixi amorem primum fuit athleta, & denudatus Alcides. Melius.

Quis tanta in parvo lusit *miracula Servo*?
Nempe suà hic pinxit se Deus ipse manu.

En quomodo mirabilis Deus in Santo suo. Domini enim sunt cardines terræ, pauperes terræ; & posuit super eos Orbem.

Hunc ergo, (si fas est homini (Ovid.) cum Jove posse loqui) tamquam Jovem Athlanticum roboabit Vir, cujus est *Oriens*, sive Orion nomen ejus, (Zachar) & exibit *VINCENS*, ut vincat auditorum affectus, proinde Vincenti dabitur Stella matutina (Angl.) cum in fulgore, & sapientiæ imbribus stellas ORIONAS vincat, quas ejusdem Jovis filias finxit Hyginus; hoc enim anagramm. sonat: *VICENTE SORIANO*: ET VINCE ORIONAS.

Elingue silentium blandiloquio captabit Demosthenes, intentique ora tenebunt docti jaculantes aromata, cum assurget filius, & Beatissimum Patrem suum prædicabit P. Fr. VINCENTIUS SORIANO in Majori Matripolitana Seraphica Domo argutissimus Sac. Theosophiæ Cathedraticus. MIRA-

MIRABILE QUARTUM. ARTHEMISIÆ MAUSOLEUM.

Numquid mortuis facies Mirabilia? Ex Pſalm. 87.ỷ.11.

Generoſa
TIBI
DOMINE
OFFERIMUS
SÆVO FLANTE
LIBITINÆ FLATU
PYRAM,SUFFITUS,HOSTIAS,
CANTUS,SUFFRAGIA, PLANCTUS.

Aſpicite, ò Cives, Senis Ennii imaginis UrnaM
Hic veſtrum pinxit maxima facta PatruM.

QUANDO LOS ALMANZORINOS.
LA DE RAMIRO VENCIDA
FUE NUESTRA GENTE ACOGIDA,
DE ORO, Y DE LOBOS SANGUINOS
A LA SEÑA* NO RENDIDA

Compoſitas ... Perlege

Per Atria ... Ceras. *Ovid. lib. 1. faſt.*

ORbis miraculum extitit Mausoleum, seu Cœnotaphium Regi Cariæ Mausolo erectum ab Arthemisia. Nixus ejus thoralium, & columnarum tam lapidibus dolatis, quàm naturalium gemmarum nitore, copia, & filigrana omnes stupore mu'citabat attentos.

Ecce in Mortuis facta Mirabilia, nempe, in miro, lugubri, & perenni Monumento

NN. PERILL. PROCERUM MARCHIONUM DE AYAMONTE,

Quos incineratos, gelidos, adhuc Posthumos, & ultra vividos in nostra memoria desideramus Penates, Tutelares, & Patronos; majusque ab Exequiis nomen in ora venit. Cognoscentur in tenebris mirabilia eorum, nec auferet Lethæus memoriam in terra oblivionis, in tenebrosis, & in umbra mortis: numquam enim stygias (Senec.) fertur ad umbras inclyta virtus. Vitæ filum inexorabili forfice secante Lachesi, in memoria æterna erunt justi; fecerunt mirabilia etenim in vita sua. Fecerunt virtutes. Hæc aromata, hæc unguenta sunt, quæ sibi quisque suæ sepulturæ parare debet, non ut corpus condiant, sed nomen conservent, ajebat Agelius. Quid enim prodest (Chrysost.) quem sordidant mores, generatio clara? Juvenal.

Quid fructus generis tabula jactare capaci,
Fumosos Equitum, Dictatorumque Magistros?
Si coram Lepidis male vivitur?

Mors in eis non fuit exitus (Eurip.) sed introitus, quia in vestibulo Honoris templi induerunt famæ togam potius quam Empedocles in Vesubio; & in ara Virtutis ænceniarunt immortalitatis chlamidem, priusquam in sua Palyngenesia Phythagoras: unde aptabile venit illud Stacii de Alexandro, cujus cadaver non computruit inhumatũ, quia præservabatur à melle; si mel est roscida Virtus.

Duc & ad Emathios Manes, ubi belliger Urbis
Conditor Hybleo perfusus nectare durat.

En quomodo mortuis facta sunt mirabilia, quia fecerũt mirabilia in vita sua. Sed numquid narrabit aliquis in Sepulcro? Utique; nam relicta erga mortuos Sycionia desidia, Bœtica Minorum pompa irremediabilibus lachrymis Omnigeni doloris signis, quasi mœrens Arthemisia die Consistorii quarta præparat Mausoleum.

Apagè quę tristi mœrens circumdaris umbrà,
Nam plangens angit pallida quarta dies.

Defunctis tales debentur honores, his præcipue Civicis Heroidibus, qui pro Fide, pro Religione, & pro Patria bellicarunt: unde *URNIS*, *MILITES* (hoc dicit anagramat. *LUIS MARTINES*) narrabit in sepulcro, umbris *LUCEM DONANS* (hoc sonat *LUDOVICUS*) Franciscíada Famili-

MIRABILE QUINTUM. TURRIS ALTISSIMA PHARION in mari.

Mirabiles elationis maris. Ex Psalm. 92.

*	*	*
Lucerna enim ejus est Agnus.	Illuminas lucernam meam Domine.	Lucerna pedibus meis Verbum tuum.

Turris anagrammatica Mariana ex illis Salutationis AngelicaE Verbis; Ave Maria gratia plena Dominus tecum, constructA

Maturè nego in Deipara justa macula M
Ista Virgo purè, almè, ac mundè animat A
Regina, en vacas multa pomi, Diva Mate R
Adam, & Evam in macula purè, ignorast I
Aurum ego nitens Immaculata Deipar A
Lapsum nivea ignoret, ac reatum Adam I
Templum; Arca ignara notæ Avi, Dei su M
Aula tota munda, ac Regina Empyrei su M
Tota purè germinavi sine Adam macul A
Unigeniti à Deo sum Mater pura, alma a C
Regem eja pura, mundi amato lacta sin U
Regia amicta è anima purè munda tu So L
Ingenua, provida, Mater es Immaculat A
Sine macula ergo avità: nam Deum pari T
Iregum Patrona: en Diva es Immaculat A
Nata Divina semper immaculata Virgo e N
Munda ego Eva armis munita Paraclet I
Adæ iram, maculamvè penitus ignora T
Regina ista Eva mundo pura micat alm E
Immaculata, Roma, en Diva Parens vige T

Credite virgineo nulla est in pectore labeS
Haud bene conveniunt Phœbus, & umbra simuL
Quantum potes, tantum aude, quia major omni laudE.

Turri fortissimæ in medio mari Originalis culpæ quare Parenthesis erectæ, ab elationibus undarum, scyllis, Syrenis, vertigine, & Caribdibus securæ, ab Euri, Nothi, Eoi, & Aquilonis turbinibus inconquassatæ.

Turri in plaga Ægypti (in valle lachrymarum) frontali ad septem capita Nili, cui tortuosa Nili Septicomis Hydra cothurnum verecunda lambuit, sed non momordit.

Turri ex candido gratiæ marmore à primo fundo; altissimæ Syderitidi, quæ ad ejus perpendiculum mathemathicum, & Mysticum rapuit supremum Architecton, ut fundaret eam Altissimus, qui super maria fundavit eam, & super flumina præparavit illam.

EN B. V. MARIA GRATIA PLENA IN PRIMO ANIMATIONIS PUNCTO

à Deo opificè demarcata, præservata, & fundata.

Turris Pharia (unde lucerniferi Pharoles) ex ejus etenim luce theothoca Sancti omnes irradiant in Candelabro Ecclesiæ Pharoles, & in Empyreo Planetæ

Elegans turrita columna in viis justitiæ ducens, dirigens viatores nautas, ne mundi maris scrupis, & cautibus mysticam scapham, rationale monoxyllum, & amplustre sumergant & succumbant; pharus enim vicinis locis instar columnæ, & propugnaculi deservit, simulque face sua accensa transeuntes omnes indicat: unde Picinel.

ET MONET, ET MUNIT.

Pharia Odegetria (Grecè) columna, id est viæ monstratrix, quia (Sanctes Pag) sicut Pharus navigantibus portum, sic illa iter agentibus urbem ostendebat.

Huic ergo turritæ Columnæ, peculiariter sub hoc Mysterio nostri triordinis directrici, altera Columna Seraphica è Regia Solis sublimmibus alta columnis veniens, è Civitate Heliopoli, sive Ezija procedens famulabitur. Si enim columnæ (Beda) sunt Doctores, & columnæ mirabiliores Salomonici templi extitère *Jachim*, & *Booz*, ut notat Hugo; cum Booz hebraice *Alere*, & Jachim (ap. River.) fortitudo, sivè Robur commentetur: ecce Doctorem *GUNDISALVUM. GONZALO* enim dicitur à *Gony*, id est genu robustum, & ab *Alo*, quasi significet *alere robustum genu*, sivè *Robur*.

Hæc Doctrix geminata Columna totius Bœtico-Seraphicæ Provinciæ nomine Marianæ turri monenti, munienti, vias justitiæ demonstranti, in Conciliis habitanti, & eruditis cogitationibus intervenienti has Prothologicas irradiationes ex theca cordis, & ex Subtilis Mariani Doctoris Solario

D. O. S.

PHAROS, ET IRRADIATIO DIE 6.

L*Ucerna ejus eſt Agnus*, Apoc. Sic ſplendor Mariæ ut lux (Habac.) fuit, ut Pharus, ut ſplendor Primigenius (Caldæus.) Et nox ultra, non erit, quia Dominus illuminavit illam, & in lumine Dei vidit lumen gloriæ in primo inſtanti. Tenebræ in ea non ſunt ullæ, & elationes maris, portæ nec inferni prævalebunt contra ipſam. En Syſthema de immunitate Deiparæ ab omni labe ſive originali, ſive perſonali, mortali, aut veniali, cum ex morte ejuſdem Filij ſui prævíſſam eam Deus ab omni labe præſervaverit. Peccatum mortale per ſe, & à priori differt à veniali, quia illud eſt privatio rectitudinis neceſſariæ ad Deum beatificè conſequendum; veniale autem eſt privatio rectitudinis, quæ non eſt neceſſaria ad talem finem, ſed tantum utilis. An peccatum ſive perſonale, ſive originale, ſive mortale, aut veniale non ſolum in pura natura; ſed etiam in jam elevata ad finem ſupernaturalem, poſſit à Deo ex vi alterius providentiæ ab ea, quæ nunc eſt, remitti abſque infuſione formæ ſanctificantis, & abſque ulla forma intrinſeca? Controvertitur inter Scholiarchas Theologos. Nos verò Subtilis D. dogmata ſequentes præcipuè in 1. D. 17. q. 2. §. *de ſecundo articulo*, & 2. D. 28. q. 1. & 4. D. 1 q. 6. & D. 14. q. 1. art 2. & D. 16. q. 2. *affirmativam partem* deffendere parati ſumus.

Has Prothologicas irradiationes ſcintillabit Apocriſticus Nauta P. Fr. JOANNES à CRUCE in Municipali Domo prædefinitus Philomuſus, qui impavidus velificabit feros vortices Scholaſtici maris, dum adſit muniens Pharus ſplendoribus miris R. P. Fr. GUNDISALVUS MEDERO Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, & in Heliopolitano Aſtigienſi Conventu Preſulatus functus faſtigio.

MI-

MIRABILE SEXTUM. ALTA BABYLONICA PYRAMIS.

Mirabilis in altis Dominus. Ex Psalm. 92.

SEmiramidis Babylonicæ Pyramidi, plusquam Ægyptiæ, & Memphis magnifica, ac stupenda structura omnium oculos ad se rapienti (Philot.) Cujus magnitudo mentis, quoniam in altitudinem nimiam scandens, gracilescit paulatim, umbras ignorantiæ mechanica ratione consumens (Amian. Marcel. Picinel.) ut dici posset cum Ausonio.

.... *In fastigia quadro*
Surgit & ipsa suas consumit Pyramis umbras.

Celso Promontorio in quadra Rupe (vulgo Roca) dolato, erecto, ut ex tali singulari impermixta materia inter cæteras fumosas, & famosas Pyramides surgat singularissimus obeliscus.

Pyramidi Cybicæ quatuor rectis angulis, sive in Quadro sitæ, cujus Architectonica structura (Vitrubrius) ad ostendendam extraordinariam magnificentiam admodum est opportuna; quinimmo non solum Jerusalem Apocalypseon, sed Babylonia, Ebactana, & Salomonis delubrum cybicis, seu cubicis lapidibus insurgebant. Si enim in *Quadro* collineantur (Alb. Hug. Silv.) quatuor Cardinales Virtutes.

ECCE R. P. N P. Fr. ANTONIUM JOANNEM DE MOLINA &c.

Pyramidem Cybicam, architectonicam *Prudentem* in agibilibus, *Fortem* in arduis. *Justam* in regimine, & in zelo discretione *temperatam*.

En Phronesim, nam Prudentiam in quadro statuebant Pythagorici (Pier. Picin.) sicque ajebat Simonides: *Prudentem virum esse manibus, & pedibus, & mente quadratum.* En Justitiam, quæ (Clem. Alex.) quadrata est & ex omni parte æqualis in verbo, in facto, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nusquam alio modo claudicans. En fortitudinem ac constantiam; quadratum quippe lapidem (D. Ambros.) in quamcumque partem verteris, rectus stabit. Et denique temperantiam in quadro cybo, & discretionis zelo. Unde Picinel, & Claudian.

Heroi merito sedes quadrata dicatur;
Rectum enim semper constitit ille sibi.
.... Justique tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia suadet.

Sic scandit æthera ex mutuis Cardinalium nexibus obeliscus, quasi Endimion, in cujus Clientæ solertia venustiorem Colonum, & Concivem in Theologicis, Ethicis, & Œconomicis Virtutes Nymphæ avidè rapuerunt, & exoptarunt. Ex quo poteris tripudiare: *Mirabilis in eo Deus virtutum, mirabilis in Altis Dominus.*

Huic ergo Pyramidi supra Rupem (vulgo ROCA) perfectæ, ejus Paternitatis umbram beneficam in Bœticam nostram Peninsulam Seraphicam exoptans, in Filiationis xenium, & debiti tributum altera Pyramis alta ex fortissima Rupe, sive *ROCA* à finibus terræ veniens, inter Herculis Gadicensis Promontoria, quasi Cesarea *JULIANA* pyramidalis Columna has Theosophicas elucubrationes ex D. S. M. alta, & eleganti lapidicina. L. L. L.

Cl-

-IM

CIBUS UNICUS, SEU FRONTISPICIUM QUADRI. DIE 7.

POssideam, Domine mi, virtutem, quia melior est omni auro, & argento. Prov rb. 6. Ideo virtus sufficienter describitur: *Habitus, qui habentem perficit, & opus ejus facit bonum.* Ratio formalis constitutiva virtutis consistit in relatione conformitatis ad rectam rationem, seu ad Prudentiam. Contra virtutes militant vitia, & peccata, & sic ex opposito est arguendum in peccatis. Propterea dicimus: Peccatum, sive rationem formalem peccati in privatione alicujus perfectionis debitæ, sive in privatione debitæ honestatis moralis in actu, consistere. Sicut virtutes inter se non sunt connexæ, ita nec peccata. De ratione peccati, & mali moralis est esse contra legem, ita ut omne peccatum sive Philosophicè, sive Theologicè consideratum, ta e sit formaliter, quia contra legem aliquam. In quo consistat peccatum habituale? Est discrimen adhuc inter Scotistas Sed: *Consistere peccatum habituale personale formaliter in quodam reatu, seu obligatione passiva ad pœnam culpæ præteritæ correspondentem*, cum N. D. S. in 4. D. 14. q. 1. art. 1. deffendere conabimur.

Auream stadii Subtilis arenam sub bit Antistrophon, celsa obumbrante Pyramide, P. Fr. EMMANUEL RODRIGUEZ in Portuensi Mariano Conventu Didascalus assignatus, & Philosophiæ Lector, cujus Lapis fortissimi Adjutorii, ut pote de *RUPE*, erit impendia Minervalia propinans R. P. Fr. JULIANUS de ROCA Jubilatus Lect. & in Alcidicæ Gadicensis Civitatis Mariano Seraphico Conventu celeberrimus Presul.



MI-

MIRABILE SEPTIMUM. SEMIRAMIS PENSILIA.

Mirabilia opera tua. Ex Psalm. 138.

cOrOna S. tu fes Tas
HYmeNæc fACes tU gra
tla flores ELige TU
gemInas meReurI ncæc

HYACINTVS
IRIS
ELIOTROPIVS
ROSA

fronde S. PerfeR
acIffaRva
qoetIs quaeres fl
OrceS cArpes f

SEMIRAMIS
PENSILIA

.......*Vigil nitido patefecit ab Ortu*
Purpureas Aurora fores, & plena rosarum
Atria. Ovid. 2. Metamorph.

Semiramis Pensili in amplis Babylon muris redolenti aromatibus miris, potiori Lyciæ pratis, in quo litterati regales hyacinthi *REGUM* caracteribus nascuntur; unde Manzer, & Virg.

Dic quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascuntur Flores?

Hispanico Versalles, ad cujus irrigationem, & generositatis ubertatem non suffragantur Nili septem ora; crescit enim Physonis auro, & Geonis nivibus, ut aureos genealogicos flosculos educat; Tigridis spumis, hydrophilaciis Euparates, ut lætabundam Veris Cornucopiam candida stirpe proferat, qua ornet etiam, & texat Cruciferos hortus Seraphici Cancellos. Si enim hortus Syracidis, in quo aromata plusquam Hibla (Clement.) est Ordo Minorum:

ECCE EXC. D. D. ANNA NICOLASSA DE GUZMAN

Ossorio, Davila, Sarmiento, Valladares, Roxas, Manrique de Zuñiga, Fernandez de Cordoba, Marchionissa de Astorga de Velada, S Roman, Ayamonte, Villa-Manrique, Dux de Atrisco, Comitissa de Trastamara, Saltes, Chantada, S. Martha, Villalobos, Nieva, Domina de Villatoro, Antesignana signiferi Vexilli, Canonica perpetua Ecclesiæ Legionis, &c. & nostri Provincialis hortus Tulipan Patrona, & gigas; uno verbo: MARABILLA.

Ecce Amaltheæ florilogium, quod varietate odorum ornarunt Najades; pensile Regium, non solum quia nascatur è Regibus, sed quia ex ejus Viridario, & nobiliario reges Hispaniæ nascuntur; unde quadrat Virg.

Diis genite, & geniture Deos:
Magnorum proles genitorque Deorum.

In cujus vireto heliotropia, hyacinthus, irides, rosæ, Minervæ fasciculus, Adonidis, Veneris, & Floræ cariophilatum reperiuntur; sed & Martis, & Bellonæ myrtetа semper vividis Famæ aromatibus redundantia, odoris boni gloriam immarcescibilem Ramiro Legionis Regi Primo contra Clavijum exhalantia, cum fortis armatus custodivit atrium suum, ut solium possideret in pace: unde posis dicere: *mirabilia opera tua...nimis confortatus est Principatus eorum,* admirans, atque silens cum Claudian. de laudibus Stiliconis.

... Equidem si carmen in unum
Tantarum sperem cumulos advolvere rerum,
Promptius imponam glaciali Pelion Ossæ.

Huic ergo miro Pensili altera flos (ut potè *Antonius* ab Anthos dicitur, qui florem significat) ex thymiamate cordis, quasi in virgula fumi ex aromatibus, & ejus hydrophilaciis occurrens quasi *LAGO*, quasi *MAR*, (hoc enim *ALMAGRO* sonat) per feracis arva Seraphici Pœtis, quos mulcet Sapientiæ imber Aura Mariana, Subtilisque Zephirus,
flores

S. O. D.

FLORI-

Venite, coronemus nos rosis, floribus, antequam marcescant. Fruamur bonis. Sap. 2, 6. Deludia sunt hæc verba luxuriantis juventutis, immo embolium, & hæreticum Machiavellismum, vitæ labilis illecebras, constantes constituens, ac fruibiles; sed contra dogmata Theosophiæ, & apophthegmata experientiæ, ut ajebat exul Ovidius: *Nos quoque floruimus, sed flos erat ille caducus,* militat hoc delirium, cum voluptatum flores ephæmeri videantur. Quamobrem immarcescibilem florem virtutem, & justitiam dijudicavit Sapiens, dicens: *Flores mei* (Eccl. 24. 23.) *fructus honoris, & honestatis*. Justitia, & justificatio est præcipuè flos hyacinthi, quem Deus olfacit in ejus manu, propterea manus ejus sunt plenæ hyacinthis. (Cant. 5. 14.) Est hyacintus flos aromaticus (Ghisler.) in quo hæ duæ litteræ *AI* leguntur inscriptæ, & est vox, (A lap.) & interjectio dolentis. Unde quadrat tropologicè animæ de suis peccatis per contritionem dolenti, propter Offensam Dei, & crimen læsæ Majestatis. Ideo peccatum extrinsecè, & terminative infinitum censetur. An autem propter istam extrinsecam infinitudinem peccati mortalis æterna pœna dignam, peccatum veniale mortali conjunctum puniatur in Inferno pœna æterna? Dubium est inter Scholasticos. Nos vero cum nostro D. S. in 4. D. 21. q. 1. & D. 15. q. 1. *negativè* respondebimus.

Hinc, floriferis ut apes in saltibus omnia libant, varios leget flosculos, quibus hemyciclos, & temporibus suis strophium texet P. Fr. MARCUS VALDERAS in Lauretana Domo Sophiæ Lector institutus, cujus capiti consarciri serta providebit P. Fr. ANTONIUS DE ALMAGRO S. Theologiæ eruditissimus explanator.

